

in effectu ita subtiliter tenet Bald. in dict. leg. Doce ancillam, 1. column. & quest. versic. Item non obstat. Item quæro, an maritus constante matrimonio lucretur fructus rerum dotialium? Et breviter dico quod sic: text. est in leg. Pro oneribus, Cod. de Jure dot. cujus verba sunt: Pro oneribus matrimonii mariti lucro fructus dotis totius esse quos ipse percepit, & ibi Gloss. ordinaria, Odofred. Petr. Cin. Bartol. Alberic. Bald. Angel. Salycet. Faber. Fulgos. & communiter DD. text. in leg. Dotis fructus, ff. de Jure dotium, text. in leg. Plerumque, versic. Si servi, eodem titul. text. in leg. de Divisione, ff. Solut. matrimon. cum simil. Quod primò extende, modò tales fructus sint naturales, modò industriales, modò civiles. Secundò extende, modò tales fructus excedant onerosa matrimonii, modò non: ita probat text. in dict. l. Pro oneribus, ff. de Jure dotium. Tertio extende, etiam in rebus mobilibus vel se moventibus: unde si animalia dentur in dotem inestimata, pertinent marito fructus eorum, putà agni, vituli, lac, pilus, & lana, & similes fetus: partus verò ancillarum non pertinent marito nec alteri fructuario, quia cum omnes res & earum fructus gratia hominum sint ordinata & producta, non debet homo esse in fructu: text. est in leg. Pecudum, ff. de Usuris, text. in leg. Plerumque, ff. de Jure dotium, text. in §. In pecudum, Inst. de rer. divis. text. in leg. unic. §. Itaque partus, Cod. de Rei uxori. act. text. in leg. 14. titul. 31. part. 3. Quarto extende, etiamsi bona dotialia consistant in majoratu, vel rebus vincularis & restitutioni subjectis; imò etiamsi fructus consistant in pœnis, multis, vel utilitatibus provenientes à dignitate vel jurisdictione ipsius uxoris, ut Ducatu, Comitatu, vel alia inferiori jurisdictione: quia etiam in his maritus habet usumfructum, vel saltem commoditatem ejus: imò etiamsi tales pœnæ, multæ, vel confiscationes consistant in rebus immobilibus; quia omnia ista dicuntur fructus jurisdictionis, & quærantur marito, argumento text. in l. final. in fin. ff. Solut. matrimon. ubi dicitur, quod fructus peculii vel juris universalis pertinent marito: text. in l. Item si fundi, versic. Sed si insula, & versic. An impiorum, ff. de Usufruct. ubi habetur, quod redditus & proventus venationum & piscationum, pertinent usufructuario fundi: text. in l. Usufructu legato, versic. 1. eodem titul. ubi disponitur, quod ad fructuarium pertinent bona quæ ex secundo decreto propter contumaciam non caventis adjudicantur, ut domus ruinosa: & in expresso ita tenet singulariter Bartol. in l. final. ff. Solut. matrimon. 1. co-

lumn. & quest. & ibi Paul. de Castr. Joan. de Imol. Roman. Cuman. & Alexand. qui dicit hanc esse communem opinionem: tenent etiam Din. Jacob. de Aretin. Petrus Alberic. & DD. antiqui in l. Si verò negotium, eodem titul. Jacob. de Sanct. Georg. in tractat. Feu in part. de castro rubei montis, 5. column. versic. Quæro etiam, mulier dedit; Palac. Rub. in sua Repet. fol. 38. column. 2. in medio. Ex quibus deducitur & inferitur, quod si maritus tacite vel expressè eos donavit uxori, potest repetere, in quantum est facta locupletior; cum valeat donatio: unde si ipsa ex fructibus se & familiam suam alueret, non posset repetere: text. est in dict. l. Pro oneribus, versic. 1. & ibi Gloss. ordinaria, Cod. de Jure dotium, & ibi communiter DD. text. in l. 2. Cod. de Pact. convent. text. in l. Si quis pro uxore, ff. de Donat. inter virum & uxorem, text. in leg. de Fructibus, Cod. eodem titul. cum similib.

Quid autem si vir duxit puellam minorem & impuberem, & sustinuit onera matrimonii, an lucretur fructus? Et Gloss. in l. Dotis fruct. ff. de Jure dotium, tenet quod non: Gloss. verò in l. Si ante, ff. Solut. matrimon. tenet quod saltem ex æquitate sic: & aliqui DD. antiqui tenent unum, alii aliud: Sed vera resolutio est, quod si malitia supplet ætatem, & est habilis ad copulam, censetur vera uxor, & vir lucratur fructus; argumento text. in cap. 1. de Sponsal. impuber. in 6. si verò malitia non supplet ætatem, tunc aut dixit eam ignoranter, errando in facto, & lucratur fructus, non tamquam maritus, sed tamquam bonæ fidei possessor; aut duxit scienter, & lucrabitur fructus quatenus sustinuit onera matrimonii, ultra verò non, secundum Paul. & Modernos in dict. l. Si ante, & Bald. & DD. in dict. l. Dotis fructus, ff. de Jure dotium, Bald. Salycet. & DD. in l. 2. Cod. de Dotis promission. Ex quibus nota & collige, quod tria requiruntur, ut maritus lucretur fructus: Primum, quod matrimonium sit contractum: Secundum, quod fundus dotialis sit traditus: Tertium, quod maritus sustineat onera matrimonii.

Adde tamen, quod fructus rerum paraphernalium non pertinent viro, sed solum uxori: ita probat text. in dict. l. Pro oneribus, cum similib. supra allegat. cum enim loquantur in bonis dotialibus, & requirant illam qualitatem, quod sint dotalia; ergo non debent extendi ad alia in præjudicium uxoris. Confirmatur ratione: quia in solis dotialibus intervenit titulus onerosus, mediante quo maritus lucratur fructus in recompensam onerum matrimonii: & in expresso ita tenet Gloss. ordinaria, licet non ita bene fundet in leg. Ubi adhuc, Cod. de Jure dotium in glos.

glossa antepenult. & ibi Bald. penult. column. numer. 28. Angel. fin. column. numer. 4. Salyc. penult. column. numer. 4. Glossa ordinaria in leg. fin. Cod. de Pactis convent. in glossa 3. & ibi Salyc. & alii DD. idem tenet Bartol. cum distinctione notabili in leg. penultim. ff. ad leg. Falcid. DD. in leg. de His Cod. de Donation. inter virum, & uxorem. Hodie tamen omnes fructus, qui supersunt soluto matrimonio, tam ex parte mariti, quam uxoris, tam ex rebus dotialibus, quam paraphernalibus, & aliunde cujuscumque generis sint, efficiuntur communes, & sunt dividendi inter maritum & uxorem, sicut alia bona acquisita & superlucrata constante matrimonio: ita disponit textus in leg. 3. titul. 2. lib. 3. For. II. & leg. 3. tit. 4. lib. 5. Ordin. (q)

Adde tamen circa superiora, quod maritus lucratur fructus pro rata temporis matrimonii: unde, si solvatur matrimonium morte vel divortio, & maritus recepit fundum plenum fructibus, fortè tempore messis vel vindemiæ, qui collegit fructus, & eis collectis statim solutum est matrimonium, ipse vel hæres ejus lucrabitur fructus pro rata anni: & idem est si recepit fundum vacuum, & decessit fructibus pendentibus; quia similiter lucrabitur pro rata temporis. Ex quo deducitur & inferitur, quod maritus non efficitur dominus omnium fructuum, quos percepit constante matrimonio, sed tantum pro rata temporis, quo duravit matrimonium. Nec obstat, quod fructuarium facit fructus suos separando à solo, ut in leg. Defuncto ff. de usufruct. item etiam emptor vel alius successor in re, ut in leg. Julianus. §. Si fructibus de action. empt. Quia lucratur eos ratione simplicis & absoluti juris quod habent in re; non verò respectu alicujus oneris vel causæ, ut maritus: textus est subtilis & notabilis in leg. Divortio, ff. Solut. matrimon. & ibi DD. & idem disponit text. in leg. 26. titul. 11. part. 4. circa quod tamen vide singulariter leg. 10. titul. 4. lib. 3. For. leg.

Item quæro, an & quando constante matrimonio possit uxor repetere dotem? in quo articulo magistraliter & resolutivè respondeo, quod licet regulariter uxor non possit agere pro dote constante matrimonio, sed eo soluto, ut in leg. 2. ff. Solut. matrimon. cum simil. tamen, si maritus vergit ad inopiam, potest uxor constante matrimonio dotem petere & exigere; non tamen peterit eam alienare, sed teneretur eam salvam & integram habere, ut ex fructibus ejus possit ipsa & maritus cum familia alimentari:

(q) Ita etiam Montalv. in leg. final. titul. 3. lib. 3. For. gloss. 1. Matienz. in leg. 4. titul. 9. lib. 5. glossa 1. numer. 2. Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

textus est capitalis & expressus in leg. Si constante. ff. Solut. matrimon. & ibi Glossa ordinaria, Bartol. & communiter Moderni, text. in leg. Ubi adhuc, Cod. de Jure dotium, & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. text. in leg. Rebus, in fine, versic. Cum constante etiam matrimonio, eodem titul. text. in Authent. de æquat. dotis. §. Illud quoque, versic. Nos autem, col. lat. 7. textus in cap. Per vestras, extrà de donat. inter virum & uxorem. & idem disponit lex 29. titul. 11. part. 4. & quod istorum jurium addat alteri, vide latè per Bartol. in dicta leg. Si constante. 1. column. 3. oppos. & ibi Paul. 1. column. cum sequent. & communiter per alios DD. Item etiam uxor, si vult, potest petere, ut dos ponatur in sequestrum apud idoneam personam, ut ex fructibus possit alimenta percipere: textus in leg. Si cum dotem. §. Si autem in sevisissimo, versic. Si vero dotem. ff. Solut. matrimon. text. in dicto cap. Per vestras de donat. inter virum & uxorem. Item etiam uxor potest hoc casu, si vult, recipere fidejussores de dote solvenda soluto matrimonio; & tunc non fit exactio dotis nec sequestrum: textus in dicto cap. Per vestras, & ibi communiter Canonistæ, & tenent Bartol. Alexand. & communiter DD. in dicta leg. Si constante. §. Quoties, soluto matrimonio.

Dubium tamen necessarium est, si maritus velit offerre fidejussorem, vel ponere dotem in sequestro, an evitabit petitionem & exactionem dotis? Et breviter & resolutivè dico quod non, imò uxor potest petere & exigere, quia per hoc est magis cauta; & per consequens habebit electionem horum remediorum: & in expresso ita tenet Bartol. in dicta leg. Si constante. 7. col. n. 46. & ibi alii DD. præcipuè Alexand. 9. col. numer. 19. Jas. 2. column. tenet etiam Glossa ordinaria in leg. Ubi adhuc in glos. 1. magn. in fin. & ibi Odofred. Cin. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. Palac. Rub. ubi plenè loquitur in dict. sua repet. fol. 61. column. 3. cum sequent. idem Palac. Rub. numer. 74. column. 1. Nec obstat text. in dict. cap. Per vestras, & in dict. l. partit. quæ jura alternativè loquuntur, ut teneatur maritus ad unum, vel ad aliud. Quia debent intelligi, ad voluntatem & electionem uxoris, secundum DD. ubi supra. Confirmatur, quia in alternativa remediorum actoris est electio: ita probat text. in leg. Quod in hæredem. §. Eligere. ff. de Trib. text. in l. Cum proponas, Cod. de Transact. & ibi Bart. & DD. text. in leg. Quamvis. ff. de Pignor. & ibi Bart. & communiter DD.



Adde tamen, quod hoc casu, si fructus dotis vel rerum assignatarum excedunt onera matrimonii, debent marito restitui; quia de jure efficiuntur sui, ut supra dictum est: & in expresso ita tenet Bartol. in *dist. leg. Si constante penultim. column. in fin. 7. quest.* & ibi communiter DD. Item adde, quod hoc casu probatur inopia mariti verè & plenè, vel semiplenè & præsumptivè; cum agatur de magno præjudicio, cum ex fructibus debeat tolli; & similiter tractetur de privilegio & favore dotis. Et modus probationis erit, si per testes vel instrumenta constet, quod tot sunt debita & credita mariti, unde resultat quid habeat in bonis; argumento textus in *l. Cum de leg. ff. de Probat. vel ex qualitate vitæ & morum*, vel ex vulgi opinione, vel ex confessione extrajudiciali, vel alia simili causa & conjectura: argumento textus in *leg. 3. §. Causa. ff. de Carb. edict. & in leg. 4. §. Sciendum. ff. ad exhibend.* & in expresso ita tenet Bartol. ubi latè extendit & declarat in *dicta leg. Si constante. 2. column. 2. quest.* & communiter DD. Et adde, quod non requiritur quod actualiter jam pervenerit ad inopiam, sed sufficit quod incipiat malè uti suo patrimonio & substantia: ita tenent & declarant DD. ubi supra: & tenet etiam & declarat latè Palac. Rub. in *sua Repet. fol. 68. column. 1. versic. Constat.*

Quod tamen limita & intellige, præterquam si mulier contraxerit matrimonium cum viro inope & suspecto, sciens conditionem suam: quia tunc non poterit petere dotem constante matrimonio, nec uti remedio prædictarum legum, argumento textus singularis in *leg. Si is à quo. §. final. ff. Ut in possessione legat. text. in leg. Si creditores. ff. de Privil. credit. textus in leg. Qui bona fide. §. De illo. ff. de Damn. infect. textus in *l. Si ab arbitrio. §. final. ff. Qui satisd. cogant. textus in leg. Inter causas. §. Abesse. ff. Mandat. textus in cap. Propter sterilitatem, extra. de locato*, & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Din. in *dicta l. Si constante. ff. Solut. matrim.* & ibi Alber. Bald. Angel. Imol. Roman. Aretin. & Jas. 26. column. num. 147. ubi dicit hanc esse magis communem opinionem; Cin. in *l. Ubi adhuc. Cod. de Jure dotium*, & ibi Bald. Joah. Andr. in *Addit. ad Specul. in titul. de Donat. inter virum & uxorem*, versic. *Quid si mulier*. Anton. Collectarius, & alii DD. in *dist. cap. Per vestras*. Contrarium tamen tenet Bart. in *dicta l. Si constante. 4. column. 6. quest.* quia mulier non potest ante matrimonium facere pactum, per quod dotis conditio fiat deterior: & in *l. De die*, & in *l. Attilicinus. ff. de Pactis dotial. idem Bartol. in dicta leg. Si is à quo. §. final. ff. Ut in posses. legat.**

Bald. sibi contrarius in *Authentic. quod locus. Cod. de Collat. 7. quest. Alexand. in dist. l. Si constante. Abb. in dist. cap. Per vestras in fin. Imol. & Anchar. in dist. cap. Propter sterilitatem, de locato*, Doctor. Palac. Rub. latè in *sua Repet. cap. Per vestras, fol. 62. per plures column.* ubi plenè examinat pro, & contra. Sed advertendum, quod in hoc dubio & subtili passu potest dari singularis & nova concordia, scilicet, quod si tempore matrimonii est pauper & suspectus, & postea non incipiat malè uti sua substantia, nec incidat in novam causam suspicionis, non possit mulier agere pro dote constante matrimonio, & sic procedat prima opinio, si verò incipiat uti malè sua substantia, & incidat in novam causam suspicionis, tunc benè possit mulier agere pro dote constante matrimonio, & gaudere beneficio prædictarum legum, & sic probatur secunda opinio: & in expresso ita tenet & concordat Salycet. in *dicta leg. Ubi adhuc. 5. column.* & certè videtur æqua & juridica.

34. Item quæro, si extraneus dedit dotem pro muliere, & stipulatus vel pactus est dotem sibi reddi, an constante matrimonio possit exigere dotem, viro vergente ad inopiam? Et breviter dico quod non: quia in casu soluti matrimonii videtur stipulatus, & non in alio: Item etiam, qua in hoc casu inopis fit restitutio dotis, ut mulier se & suos alat: quod non esset, si extraneo restitueretur: & in expresso ita tenet Glossa ordinaria in *dist. leg. Si constante in glossa 3.* & ibi Bartol. 8. column. 6. quest. numer. 55. & communiter DD. Cin. in *dist. l. Ubi adhuc. Cod. de Jure dot. 7. quest.* & ibi alii DD. & hanc communem opinionem Jas. in *dist. l. Si constante, n. 52.* Advertendum tamen est, quod hoc casu talis extraneus habebit remedium textus in *l. In omnibus. ff. de Judic. secundum Bartol. & DD. ubi supra.*

35. Item quæro, si maritus post restitutionem dotis efficiatur dives & solvendo, an recuperet dotem? Et videtur quod sic: quia dispositio prædictorum jarum & talis restitutio fit tantum causa inopiæ pro securitate dotis; ergo, supervenientibus divitiis & facultate solvendi, cessat prædicta causa & recuperat dotem, argumento textus in *l. Cura, vers. 1. ff. de muneribus & honorib. text. in leg. His honoribus, vers. 1. & 2. ff. de Vac. mune. text. in l. Semper. §. Negotiatio. ff. de Jure immun. ubi habetur, quod excusatio vel dispositio, quæ fit & inducitur propter divitiis vel paupertatem, est temporalis, & cessat, aliquo eorum quod est causa dispositionis superveniente: Ex quibus plura bona inferunt ibi DD. Sed, his non obstantibus, contrarium est dicendum, imò, quod non recuperet*

dotem: quia licet actus vitietur quando pervenit ad causam in quo incipere non possit, ut in *leg. Pluribus. §. Et si placet. ff. de Verbor. oblig.* tamen debet intelligi ante actum consummatum; secus verò si postea, ut in *cap. Factum legitime de regul. jur. lib. 6.* & ibi Din. & communiter DD. Item etiam, quia si casus vel actus superveniens tendit ad eundem effectum cum primo, non vitietur primus: text. est in *leg. Verbis legati. ff. ad leg. Falcid.* & ibi notat Bart. & communiter DD. text. in *l. Sciendum, §. fin. ff. Qui satisdare cogant.* ubi cautio interposita pro securitate à paupere, vel ab illo, qui non possidet immobilia, non tollitur vel annullatur superveniente possessione rerum immobilium, vel supervenientibus divitiis: Et in expresso per ista fundamenta in nostra questione principali ita tenet Bartol. in *dist. leg. Si constante, fin. column. penult. quest.* & ista sententia est communis & mihi placet; licet Henricus noviter in *dist. cap. Per vestras, in fin.* concordet dicendo, quod si postea effectus est dives & sapiens, habeat locum prima opinio: si verò tantum est effectus dives, non verò sapiens, procedat secunda opinio: & sequitur Palac. Rub. fol. 70. column. 1.

36. Item quæro, an res empta ex pecunia dotali efficiatur dotalis? In quo articulo resolutivè dico, quod regulariter res empta ex pecunia alterius non efficitur ejus cujus erat pecunia, sed ementis: text. est capitalis & expressus in *leg. Si ex ea pecunia, Cod. de Rei vind. text. in leg. Si is, Cod. Deposit. text. in leg. 1. Cod. Si quis alteri vel sibi: text. in leg. Si patruus, Cod. Commun. utriusque jur. & utrobique Gloss. ordinaria, & commun. DD. & idem disponit text. in *leg. 49. tit. 5. part. 5.* Quod fallit in aliquibus casibus, & personis. Primus est in milite: nam si ex pecunia ejus res ematur, statim fit sua, & talis res & dominium ejus succedit loco pecuniæ favore ejus, nisi potius vellet agere ad pecuniam: text. est in *leg. Si ar proponas, Cod. de Rei vindic.* & ibi Gloss. ordinaria. Odofr. Petr. Cin. Jacob. Butr. Bartol. Alber. Fab. Bald. Angel. Paul. Salyc. Fulgos. & communiter DD. Quod extende, etiamsi emptor non sit procurator vel administrator militis, sed extraneus, & etiamsi emat proprio nomine, vel simpliciter: ita probat textus ibi; & tenet expressè Bart. & communiter DD. licet Guiller. Bald. & alii teneant contrarium. Secundus casus est in minore 25. annor. quia res empta ex pecunia ejus efficitur sua: text. est in *leg. Curator, Cod. Arbitr. tutel. text. in leg. 2. ff. Quando ex fac. tutor.* & idem est eadem ratione in furioso, prodigo, vel aliis, qui sub cura & administratione sunt; argumen-*

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

to Gloss. & eorum quæ ibi notantur in *leg. 2. Cod. de Curat. furios.* & tenet expressè Bald. in *dist. leg. Si ut proponis, 2. column. 3. quest.* Quod tamen intellige quando res esset empta per tutorem curatorem, vel administratorem: secus verò si per extraneum; quia tunc non efficitur sua: ita probant prædicta jura, & ibi comm. DD. Quod subintellige, præterquam in subsidium, emptore non existente solvendo, quia tunc bene efficitur sua: ita probat text. in *leg. Filia. ff. de Solut. text. in leg. Uxor marito. ff. de Donationibus inter virum & uxorem, text. in leg. Cum vi. ff. de Jure dotium*, & in expresso ita tenet & declarat Jacob. de Aretin. & alii DD. in *dist. leg. 2. ff. Quando ex factis, Bart. & communiter DD. in dist. leg. Si ut proponis, Cod. de Rei vindication.* licet ibi Bald. dicat quod hoc casu non transit dominium nec vindicata res, sed ipso jure censetur tacitè obligata, argumento text. in *leg. 3. ff. de Rebus eorum, in leg. Idemque. ff. Qui potior in pignorbab. & in leg. fin. Cod. de Servo pig. dat. man.* Tertius casus est in Ecclesia; quia res empta ex pecunia ejus efficitur sua. Quod intellige eodem modo, quando est empta per syndicum vel administratorem; secus si per extraneum, nisi in subsidium, emptore existente non solvendo. Quid autem in re empta ex pecunia dotali, vel ex re propria ipsius uxoris, de quo est questio nostra? Dic, quod non efficitur uxoris, text. est in *leg. Ex pecunia, Cod. de Jure dotium.* Quod intellige nisi in subsidium, marito non existente solvendo, nisi de voluntate ipsius uxoris sit empta: ita probat text. in *leg. Cum vir. ff. de Jure dotium, text. in dist. leg. Uxor marito. ff. de Donationibus inter virum & uxorem*, & tenent DD. in *dist. leg. Ex pecunia. Cod. de Jure dotium, & in dist. leg. Si ut proponis, Cod. de Rei vindic. & in leg. Si cum dotem, §. fin. solut. matrimon. & probat præd. lex 49. titul. 5. part. 5.*

37. Tertius articulus principalis est, de jure, & natura, & effectu dotis, soluto jam matrimonio. Et in primis quæro, quæ actio competat uxori vel hæredibus ejus pro petenda dote à marito vel hæredibus ejus? Et resolutivè dico, quod aut dos consistit in quantitate, aut in specie: si in quantitate, de jure antiquo competebat actio rei uxoriæ; hodiè verò competit actio personalis ex stipulatu, & omne jus & privilegium quod erat in prima, est translatum in secunda: imò etiam, si stipulatio concipiatur inutiliter inter maritum & uxorem, vel nullo modo interponatur, semper fingitur intervenisse: text. est capitalis & expressus in *leg. unic. Cod. de Rei uxor. action.* & ibi Gloss. ordinaria, Odofr. Petr. Cin. Bart. Alber. Faber. Bald.

Ddd 3

Angel.



Angel. Salyc. & communiter DD. Ex quo nota & collige, quod solemnitas quæ non requiritur in actu, si interveniat minus aperte, non vitiat actum: idem etiam probat text. in l. *Hæredes palam in fin. ff. de Testament. text. in leg. 1. §. Fuit quæsitum in fin. ff. ad Trebell. text. in leg. Cum tabulæ, ff. de honor. poss. secund. tab. text. in leg. Si stipuler, §. fin. ff. de Verb. obligat. text. in Clem. sepè, in fin. de Verbor. signif. tenent etiam gloss. ordinaria in leg. Unum. ff. Si cert. Gloss. in leg. Debitor. ff. ad Trebellian. Gloss. in leg. 1. ff. Quem test. aper. Gloss. in §. Multis, Instit. de Libertin. & utrobique DD. Et adde, quod contra talem fictionem non admittitur probatio in contrarium per confessionem partis, nec alio genere probationis: quia contra fictionem inductam à jure non admittitur probatio in contrarium, ut est Gloss. singularis & ordinaria in leg. Sive possidetis, C. de Probat., & ibi communiter DD. tenet etiam Bart. in leg. Sciendum de verborum obligationib. 3. col. in fin. & ibi DD. Hodie autem in nostro regno talis ficta stipulatio non esset necessaria, cum quælibet simplex promissio sufficiat: Sed teneo quod fingitur illa promissio. Et adde, quod prædicta actio, vel obligatio personalis expressa vel tacita est privilegiata, & præfertur mulier cæteris creditoribus personalibus anterioribus: text. in leg. 2. fin. cum leg. sequent. & sequent. ff. de Privileg. credit. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. tenet etiam Gloss. ordinaria & Bart. Alb. & communis opinio in leg. Privilegia, eod. tit. text. junct. glos. in leg. 1. ff. de Privil. dotis. & ibi communiter DD. text. in Authent. quo jure, Cod. Qui potiores in pign. hab. & ibi DD.*

Item etiam competit uxori & hæredibus ejus tacita hypotheca in bonis mariti; text. est in dict. l. unic. §. Et ut plenius, Cod. de Rei uxor. actio. ibi: Et in hujusmodi actione damus ex utroque latere hypothecam, sive ex parte mariti pro restitutione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote prætanda: & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. text. in §. Et nemo, ejusdem leg. ibi: Et hypothecam ex utraque parte quasi fuerit scripta & ibi communiter DD. text. in l. Assiduis, versic. Ad hæc. ibi: Cuique etiam tacitam donabimus inesse hypothecam, Cod. qui pot. in pign. hab. text. in §. Fuerat, Instit. de action. & idem disponit l. 23. tit. 23. part. 5. Quod notabiliter extende, ut procedat etiamsi maritus sit minor 25. annor. quia etiam bona sunt tacite obligata pro dote: quia cum sit habilis ad contrahendum; ergo similiter quoad accessoria, argumento textus in leg. Mutuus. ff. de Jure dotium, ita Bald. in leg. unic. §. Et ut plenius, Cod. de Re uxoriae actio. idem Bald.

Ang. Roman. Alexand. & Jas. in leg. Si constante. ff. Solutio matrimonio, idem Bald. Paul. & alii DD. in leg. Item ff. de Pactis, idem Bald. Cin. Alb. Angel. & DD. in leg. fin. Codic. de Legit. tut. Cin. in leg. Ubi adhuc, Cod. de Jure dot. 4. column. 16. quest. & ibi Alb. 4. column. Anton. Neguz. qui dicit hanc esse communem opinionem in tractatu de Pign. in 4. memb. 2. part. num. 73. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 71. column. 2. vers. Limitabis, 6. licet Bart. teneat contrarium in dict. leg. Si constante, in 4. quest. 3. partit. principalis, & in dict. leg. Item quia. ff. de Pactis. Quid autem è contra, an muliere promittente dotem, intelligatur tacita hypotheca, si est minor? vide DD. ubi supra. Secundo extende, ut procedat & habeat locum in dote putativa, quando mulier de facto ignoranter contraxit prohibitum matrimonium: quia etiam tunc inducitur tacita hypotheca & jus prælationis in bonis mariti: Gloss. est ordinaria in dict. leg. Assiduis, Cod. Qui pot. in pign. in gloss. magn. fin. quest. & ibi Bald. & communiter DD. Gloss. ordinaria in leg. 3. §. fin. ff. de Privil. credit. in gloss. fin. & ibi Bart. & communiter DD. tenet etiam Bartol. in leg. Si cum dote, §. fin. ff. Solut. matrim. Anton. Neguz. in tract. de Pign. in 4. memb. 2. partit. 10. quest. Imò etiam talis mulier gaudet privilegio, ne bona dotalia alienentur: Gloss. est singularis & ordinaria in leg. Dotal. ff. de Fundo dot. & tenet Paul. de Castr. Alex. & alii DD. in dict. leg. Si cum dote, §. fin. ff. Solutio matrimon. Item etiam talis uxor gaudet medietate lucrorum acquiritorum constante matrimonio, argumento text. in cap. 2. de Donat. inter virum & uxorem, & ibi notant Alexand. & communiter Canonistæ: Palac. Rub. in sua Repet. fol. 19. col. 2. Tertio extende, ut procedat & habeat locum, nedum in ipso marito vel principaliter obligato pro dote, verum etiam in fidejussore, in casibus in quibus fidejussor dari potest: quia obligatio fidejussoria est accessoria & sequitur naturam sui principalis, argumento text. in regula accessoria cum similibus de regulis juris, & in leg. 2. Cod. Per quas personas, & in expresso tenet Bald. Novel. in tract. de Dotis. Anton. Neguz. in tract. de Pign. in 4. memb. 2. part. per quem vide alias plures limitationes in materia.

Limita tamen & intellige in ipsa muliere, favore matrimonii: secus verò in extraneo, qui dotavit, & stipulatus est dotem sibi reddi soluto matrimonio; quia non habet tacitam hypothecam: ita tenet notabiliter Cin. in dict. leg. unic. in §. Et ut plenius, Cod. de Rei uxor. actio. & ibi Salyc. tenet etiam Paul. de Castr. in leg. 1. ff. Solutio matrimon. 2. column. num. 6. &

& ibi Alexand. 9. column. & communiter DD. numer. 37. idem Paul. post Gloss. ibi in leg. 2. ejusdem tit. 5. column. 3. num. 12. Bald. Novell. in dict. tractat. Dot. 6. part. §. 7. privileg. numer. 5. versic. Vidi etiam dubitatum. Secundo limita & intellige in uxore, vel sponsa de præsententi: secus verò in sponsa de futuro; quia si ante contractum matrimonii solvit dotem, & postea sponsus decedat, non habet tacitam hypothecam nec privilegium dotis; quia sine matrimonio non potest esse dos; ita tenet Gloss. ordinaria in leg. Eos, Cod. Qui potior. in pign. hab. & ibi DD. Bart. in leg. 2. §. fin. ff. de Privil. credit. & ibi DD.

Et adde, quod prædicta tacita hypotheca est privilegiata, ut mulier præferatur cæteris creditoribus anterioribus habentibus tacitas hypothecas: text. est capitalis & expressus in leg. Assiduis, Cod. Qui potior. in pign. hab. text. in §. Fuerat, Instit. de action. & utrobique DD. & idem disponit lex 23. tit. 13. partit. 5. ejus ratio potest esse; quia lex quæ concessit talem hypothecam in bonis debitoris, potuit beneficium & effectum ejus tollere vel modificare favore mulieris & dotis ejus, & ratione publicæ utilitatis, quæ in conservanda dote versatur; ut in leg. 1. in 3. sim. ff. Solut. matrim. Et omnia ista & alia privilegia conceduntur mulieribus propter maxima onera matrimonii: scilicet, obsequium & reverentiam quam maritis debeant præstare: Item, propter partus pericula: Item, propter liberorum procreationem, curam eorum: text. est in dict. leg. Assiduis, versic. Quis enim, & probatur Genes. cap. 3. ibi: Multiplicabo aromas tuas, in dolore paries filios tuos, & sub viri potestate eris, & ad Corinth. cap. 11. & ad Ephes. cap. 5.

38. Quæro tamen, à quo tempore incipiat ista tacita hypotheca, an à tempore contracti matrimonii, an verò à tempore traditionis ipsius dotis? Et breviter & resolutivè dico, quod à tempore solutionis & traditionis ipsius dotis: imò, quod magis est, etiamsi spe futuræ numerationis & dotis recipiendæ, maritus eam promisit reddere & solvere uxoris hæredibus, incipit à tempore traditionis postea secutæ, non verò à tempore contracti matrimonii & promissionis: unde inferitur, quod si post contractum matrimonium & dotem promissam maritus contraxit cum aliis creditoribus cum expressa hypotheca, & postea dos est sibi tradita, non præfertur mulier prioribus creditoribus, ita est Gloss. singularis & unica in leg. Assiduis, Codic. Qui potior, in pign. hab. in verb. Hypothecam, & ibi notat & commendat Jacob. 1. column. propè finem, notat etiam & commendat Bald. fin. column. dicens, quod vix

alibi reperitur: & idem tenet expressè & notabiliter Specul. in tit. de Oblig. & solut. §. Ante omnia penultim. column. versic. Sed pone contraxi, Bald. Novell. in tract. Dotis, 10. partit. principal. 16. limitation. licet relinquat cogitandum: & ista videtur vera sententia & opinio, licet Bartol. Cin. Salyc. & alii DD. in dict. leg. Assiduis, vellent contrarium; imò, quod incipiat à tempore contracti matrimonii & promissionis dotis debendæ, non à tempore traditionis ejus: & idem tenet Ancharan. in capit. Ex litteris de pignor. 3. column. ibi Joan. de Imol. 5. column. num. 18. Anton. de Neguz. in tract. de Pignor. 4. memb. 2. partit. principalis, 4. questio. ubi notabilius & melius quam alibi loquitur, & dicit hanc esse magis communem opinionem: Si verò loquimur in expressa hypotheca, quia maritus expressè promisit reddere dotem uxori & hæredibus ejus cum expressa hypotheca, & postea etiam ex intervallo recipiat dotem; illa hypotheca expressa incipit & habet effectum à tempore promissionis & contracti matrimonii, non verò à tempore traditionis; & sic uxor præfertur creditoribus contrahentibus cum marito post ipsam promissionem, & ante traditionem dotis: ita probat text. in leg. 1. ff. Qui potior. in pign. hab. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in leg. Tali facta. ff. de Jure dotium, tenet etiam Bald. Novell. in dict. tract. Dotis, 10. part. 16. limitat. & 3. Anton. de Neguz. in dict. tract. de Pignor. 4. memb. 2. part. 3. quest. num. 77. & idem disponit lex 33. tit. 13. part. 5.

39. Pulchrum tamen & quotidianum dubium est, an mulier virtute tacitæ hypothecæ præferatur aliis creditoribus habentibus expressas hypothecas anteriores? Et videtur quod sic: Primo, quia text. in dict. leg. Assiduis, Codic. Qui potior. in pign. & in dict. §. Fuerat, & jura similia, quæ concedunt mulieri beneficium prælationis, indistinctè loquuntur, nulla facta distinctione an priores creditores habeant hypothecas tacitas vel expressas. Secundo facit etiam text. in dict. leg. Assiduis, ibi dum dicit, licet anteriores sint tempore privilegii valati: ergo non solum loquitur de hypotheca tacita anteriori, sed etiam de expressa, in qua privilegium prælationis ex tempore consideratur, ut in leg. 1. & per totum, Codic. de ff. Qui potior. in pign. hab. & in regula, qui prior. de regul. juris. Tertio facit text. in leg. In rebus, Cod. de Jure dotium, ubi habetur, quod si res dotalis extat soluto matrimonio, æstimata vel non æstimata, in ea præfertur mulier omnibus anterioribus creditoribus; quia venit ad propria bona: sed tunc admittitur & præfertur mulier etiam habentibus anteriores hy-